



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Est ne abrogatum paeceptum de sabbato?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

**O**bseruationem sabbati, hoc est, conserua-  
tionem ceremoniarum, quæ sunt diuini-  
tus traditæ. **S**abbatum enim institutum  
fuit causa docendi. **I**deo lex disertè inquit. **S**an-  
ctificabis diem sabbati, id est, in res sanctas collo-  
cabis, uidelicet ad celebrandas publicas ceremo-  
nias & audiendum uerbum Dei. **H**æc sunt uera  
opera sabbati. **I**am diligenter cōsidera ordinem  
præceptorum primæ tabulæ. **P**rimū præceptum  
concionatur de cultibus interioribus, de timore,  
fide et dilectione Dei. **S**econdum de externa pro-  
testatione, scilicet inuocatione. **T**ertium de cere-  
monijs & usu ceremoniarum, scilicet quod con-  
seruandæ sint propter ministerium uerbi. **O**por-  
tet enim existere aliquas ceremonias, quæ sunt  
notæ & testimonium uerbi Dei. **N**on poterat  
magis concinnus ordo excogitari.

**E**st ne abrogatum præ-  
ceptum de sabbato?

**R**espondeo, **G**enus quod in hoc præcepto  
continetur non est abrogatum, quæ qui-  
dem est principalis sententia huius præce-  
pti, & continet causam finalē institutæ speciei,  
species uero est abrogata, hoc est, semper Deus  
requirit conseruationem ceremoniarum, sicut

cas præcipit. Prodest autem aliquos esse certos  
dies destinatos ceremonijs & ministerio uerbi.  
**H**oc genus est immutabile, & est principalis sen-  
tentia huius præcepti. Sed species, uidelicet ut se-  
ptimus dies obseruetur, abrogata est, quia **Chri-**  
**tiani** sunt liberi à ceremonijs **Mosaicis**. **I**nterim  
tamen genus, quod in hoc præcepto requiritur,  
est morale. **A**c propterea quod ad hoc genus at-  
tinet, **C**hristiani tenentur hoc præcepto, **Q**uiā  
**D**eus præcepit omnibus hominibus, ut suum of-  
ficiū singuli conferant ad conseruationem pub-  
lici ministerij. **I**ta quidem erudite dicunt, **T**ertiū  
præceptum, quod ad genus attinet, est morale et  
perpetuum, sed quod ad speciem attinet, id est,  
septimi diei obseruationem, est ceremoniale. **E**t  
de hac ceremonia iudicandum est sicut de cæte-  
ris ceremonijs **Judaicis**. Ergo peccant qui contu-  
maciter negligunt publicum ministerium & ce-  
remonias diuinitus institutas. **P**rimum quia no-  
lunt uti beneficio **Dei**, quia **D**eus ibi nos erudiri  
& exerceri uult. **D**einde quia suum officium nō  
conferunt ad conseruationem publici ministerij.  
**P**ostremò quia exemplo suo alios abducunt à ce-  
remonijs & minuunt earum reuerentiam. **H**æc  
peccata non sunt extenuanda, **I**deo docendi sunt  
homines de obseruatiōe huius præcepti. **S**ed quo-  
niam

niam Euangeliū non alligat nos ad diem certū,  
piæ conscientiæ erudiendæ sunt, ut sciant non es-  
se peccatum sine contemptu et extra casum scan-  
dali aliquando nō interesse publicis ceremonijs.  
Iudei enim habuerunt præceptū diuinum de die  
et de opere. Nos habemus præceptum diuinum  
de opere, sed non habemus præceptū de die cer-  
to. Contemptus est autē, si quis nunquam aut ra-  
ro intersit, Nam is aut contemptu doctrinæ aut  
aliquo doctrinæ odio abest. Scandali casus uarij  
sunt, sed præcipuus est, si quis suo exemplo no-  
ceat alijs.

### PECCATA CONTRA hoc præceptum.

**C**ontemnere ministerium Euangeliū. **N**um= I  
quam aut raro audire Euangeliū.

**N**on uti sacramentis.

II

**C**ontumelia afficere sacramenta, eaq; uel o= III  
minino ex ecclesia tollere, uel conferre ad impios  
abusus, ad quæstum aut ad impietatem, sicut Mis-  
se ad quæstum turpem et impietatem collocatæ  
fuerunt.

**A**bolere ministerium uerbi, aut in docendo IIII  
negligentem esse etc.

**I**nstituere impias Ceremonias, quæ obscurant V  
ueram doctrinam et officiunt uero ministerio.

C 2

Dies